

III.
NEOVIDENSIS

Nro 52. (*Neovidensis* 1805. Nro 48.)

Ex campis Elysiis

Oratio Politica

De emendatione nostrarum Cognitionum.

Elysium -- Meum. -- Die Vener. 28. Junii 1805. (Neov. 14. Junii.)

Acute dictum:

Narratur Fabula — de te.

Non omne ita, uti deberet, se habet, dicebat nuper quidam Britannus, legens eruditum opus, ubi eidem post varias cogitationes sponte sua enata est quæstio: Quomodo potest magis, ac magis invalescenti Illuminationi impedimentum poni? Singularis interrogatio. — Post exiguam moram, sumto in manus calamo, sequentem scripsit fabulam:

Simiæ, audito eo, quod homines imitari facillimum sit in deliberando, & consultando, siquidem in quolibet, etiam minimo pago deliberatur, & consultatur, congregatæ sunt, longis, & brevibus instructæ candidis, hirsutæ, & glabræ, magnæ, parvæ, Paviani, Ourangutani, & id genus aliæ. Fixum est, clamabant, in deliberando homines non tantum æquare, sed longissimo etiam post nos relinquere intervallo. Quare processerunt ad electionem

mi præsentiam, qua hosti magna elades illata est. A. 1762 celebrem inivit cum Austriacis conventionem in Silesia. Tempore belli successione bavaricæ præfuit copiis in montibus Lusatiae collocatis, & deinde tardius pluribus simul ad Budissam congregatis. Post pacem Tessinensem per id potissimum de sua legione est bene meritus, quod pro prolibus militum institutum crexerit, in quo illæ in spem patriæ quam optime educarentur. A. 1787 mense Augusto ob turbas in Hollandia exortas, profectus est cum sua legione in Ducatum Cliviensem, unde 13. Septembris tertiam phalangem Prussicorum militum per Comitatum Zutphaniensem deduxit Hagam Comitum; sed eodem anno in finem vergente, paceque in Hollandia restituta, in Stativa remeavit. Postquam itaque per decursum 72. annorum, atque 8 mensium militaria meruisset Stipendia, A. 1799 10. Decembris vivere desit.

III.

NEOVIDENSIS

Nro 52. (*Neovidensis* 1805. Nro 48.)

Ex campis Elysiis
Oratio Politica

De emendatione nostrarum Cognitionum.

Elysium -- Meum. -- Die Vener. 28. Junii 1805. (Neov. 14. Junii.)

Acute dictum:

Narratur Fabula — de te.

Non omne ita, uti deberet, se habet, dicebat nuper quidam Britannus, legens eruditum opus, ubi eidem post varias cogitationes sponte sua enata est quæstio: Quomodo potest magis, ac magis invalescenti Illuminationi impedimentum poni? Singularis interrogatio. — Post exiguam moram, sumto in manus calamo, sequentem scripsit fabulam:

Simiæ, audito eo, quod homines imitari facillimum sit in deliberando, & consultando, siquidem in quolibet, etiam minimo pago deliberatur, & consultatur, congregatæ sunt, longis, & brevibus instructæ candidis, hirsutæ, & glabræ, magnæ, parvæ, Paviani, Ourangutani, & id genus aliæ. Fixum est, clamabant, in deliberando homines non tantum æquare, sed longissimo etiam post nos relinquere intervallo. Quare processerunt ad electionem

Dictatoris; In hunc finem allata fuit magna, & lata sella reclinatoria. Versutæ sunt simiæ; cui fuerit sella accommoda, dixeruat, fiat Dictator. Pingviores ex circumstantibus debebant in illa sedere; Crasissimus Curangutanus eam bellissime replevit, & factus est Dictator. Tam memorabilem diem nunquam habuerunt simiæ, erat illa destinata, ut Gens simiarum vindictam sumat de hominibus.

Dictator in Deliberationem adduxit homines! Parva quædam Simia abjecta nuce fecit propositionem: Imprimis, & quidem præteritis aliis negotiis, vocentur in iudicium eruditi, sique omnes. Centum aliæ vociferabantur: Sententiam dicere omnibus eruditis est indefinitum, judicentur nominatim omnes scriptores, & omnes Philosophi. Ingens tumultus ortus est in comitiis: Alia centum conventus membra postulabant, ut omnibus generatim hominibus, qui obierunt, qui vivunt, & qui nascituri sunt, hodie dies dicatur.

Dictator interpellavit: Talem decisionem una Sessione finiri non posse, & ideo existimare, ut hodierna die tantum eruditorum; Sscriptorum, & Philosophorum, qui inde a centum quinquaginta annis celebrantur, causa cognoscatur; Egregie! Insigniter dictum! acclamatum est ex omnibus partibus. Interea membrum quoddam Senatus proposuit ad accelerandum, & facilius determinandum tam grave negotium necesse esse, ut semper de decem viris simul ferantur suffragia. In eandem sententiam itum ab omnibus. Urna com-

movetur, Dictator inde extrahit *Volterrum*, *Descartium*, *Leibnitzium*, *Lockium*, *Russovium*, *Kantium*. — Jam ad conspectum horum numero septem, Patres conscripti vehementibus corripuntur convulsionibus; fremitu, stridore dentium, ejulatu, & sibilo superant vocem Dictatoris; reliquorum trium Philosophorum postea extractorum, & quidem vivorum, & Germanorum nomina nonnisi a vicinis Urnæ poterant exaudiri. — Multi Senatorum provoluti sunt ad terram; Dictator textit suum vultum, & ne magis irritet convocatos, supersedit incepto labore. Dolores remiserunt, & quies restituta est.

Tunc Dictator elata voce inquit: Hi in medium protracti viri, gravia intulerunt mala omnibus similiis, quæ pietatem, religionem, rerum cognitionem, amorem aliorum factis expresserunt. Horum alii vita functi sunt, alii adhuc vivunt, omnes tamen immortales. Qua pœna digni censentur? Ingens strepitus, & murmur exauditum est. Nulla amplius immortalitas, conclamarunt omnes, nisi Simiis! Huic propositioni sexcentis plures applauserunt, fuitque acceptata.

Posthæc membrum quodpiam ita verba fecit: Legislatores, & Judices! efficax, atque huic diei, & conventui digna cautio est adhibenda; Nihil fecistis, si fontem immortalitatis non obsruatis, fons autem est — veritas. Quare ea insidet animo meo opinio, ut veritas deportetur. — Assertum placuit omnibus, estque una voce approbatum.

Congregati Patres fessi difficultate negotii, apertum dederunt signum impatientiæ, optaruntque dissolutionem consessus. Verum senex Pavianus, multa experientia, & rerum cognitione probe subactus — multis enim annis apud illustrem virum Ecclesiasticum fuit Simia domestica, in hunc modum peroravit: Veritas est deportata — sed sapientia vestra exigit, ut assumptam diutius adhuc sustineatis personam. Legislatores! adest tempus, oceptam victoriam perfectam reddendi, & vetustissimam homines inter, & Simias vigentem controversiam finiendi in emolumentum nostri generis, quod, uti ejus constitutio demonstret, debere principem tenere locum in orbe, determinatum est. Agite ergo, reponamur in nostras naturales prærogativas, & genus humanum in æternas tenebras retrudatur! In vestra situm est potestate evertendi media, per quæ veritas posset reverti. Quapropter mentem meam vobiscum communico: tollatur ex orbe universo omnis charta, omnes calami, omnia atramentaria, omnia prela typographica, Comburantur omnes libri demtis paucis, quos delecti ex eruditissimis viri post diligens examen ut innoxios declaraverint.

Enthusiasmus, veri nominis stupor occupavit totam multitudinem. Consilium senis, sed docti Paviani, lætissimo assensu omnes excepere. Causæ cognitio commissa est delectis, qui de modo exequendi relationem faciant; Ad negotium autem hoc inquit-

rendum nominati sunt: — — Factio, Stupiditas, Invidia, Intolerantia, Studium propriæ utilitatis, Pruritus conviciandi, Ignorantia, Superstitio. His peractis Sessio soluta est, & multitudo properavit ad prandium.

Narratur Fabula de te, dicet sibi ipsi Britannus ut primum legerit nova Gallica 8. Junii edita. Monitor enim occasione propositi in Anglico Parlamento, & 9. Februarii A. 1804 inchoati commercii litterarum inter Hobartum, St. Vincent, & Andream Hammond de impensis in nihil proficientem contra portum Boloniensem lapideam expeditionem (eujus modo in Anglia nemo vult author dici) erogatis, istam facit animadversionem: Andreas Hammond est homo versutus. Ille subministrabat pecunias Pichegrio, & Georgio; Dies nona Februarii est memoria digna. Ingens vis pecuniæ profusa est ad texenda illa indigna molimina, quæ non minus juri bellandi, quam sensui honoris adversantur. Quod lapideam expeditionem attinet, provocamus ad judicium omnium rei maritimæ peritorum in Europa, an unquam aliquid stupidius fuerit excogitatum? Posse aliquem portum in mari mediterraneo sepeliri, facile est capere; ast portum, accessui, & recessui maris obnoxium, quive intra tres recessus perpurgarî potest, velle obruere, est summus gradus amentię. Tota natio vertigine capitis laborat, ejus consultationibus præsidet stultitia. Bibente Au-

gusto, inquit Voltærus, tota Polonia fuit ebris. Lapidæam expeditionem excepit incendiaria, perinde male excocta, & sine fructu. Hodie deliberatur de globis ignivomis. Dolendum non subjacere potestati Anglorum inferos, his illa orbem universum inundaret &c.

Quid porro? Ligurica Respublica incorporatur Galliæ, uti sequens docet articulus:

Genia 1. Junii.

Hodiernæ publicæ ephemerides ita sonant; Infausta conditio, in quam Liguria jam a longo tempore per diuturnum, ac pertinax bellum conjecta gemit, jacens commercium, cui soli ejus conservatio innititur, item fere penitus interclusa per Africanos, & Anglicos piratas communicatio maris, nec non impedita terrestris negotiatio per gallicum Systema vectigalium, ut nec spes supersit feliciora aliquando supervivendi tempora propterea, quod Senatus viribus destituatur, & omnia juvandi media jam exhausta sint, induxerunt nostrum Gubernium, ut generosum æque, ac necessarium caperet consilium, se ex his calamitatibus repente extricandi. Nullus alius ad hanc rem patebat exitus, quam se subicere magnæ, invincibili, præpotenti Nationi, cum primis autem Augusto ejus Capiti Napoleoni I. In hunc finem congregatus fuit Senatus 25. Maji, & sapientissime determinatum, non tantum tractare de hoc

magni momenti negotio, sed etiam populum
 vocare in partem deliberationum, ut certe
 conditiones usui quam maximo futuræ sta-
 bilitantur. Huc pertinet potissimum: Ut
 Status Liguricus absque omni diminutione
 efficiat partem Imperii Gallici; Ut debita
 publica solvantur modo Gallis usitato; Ut
 portus liber conservetur in suis prærogativis;
 Ut in constituendo tributo ratio habeatur
 sterilitatis territorii, & majorum in Agri-
 culturam faciendarum impensarum; Ut vec-
 titalia inter Galliam, & Liguriam tollan-
 tur; Conscriptio hominum se tantum ad nau-
 tas extendat; Ut vectigalia ab importatis, &
 exportatis mercibus solvenda ita ordinentur,
 ne venditioni liguricorum productorum, &
 manufacturis officiant; Ut civiles, & crimi-
 nales causæ Genuæ terminentur, vel certe
 in vicino Gallico tribunali; Ut denique em-
 tores bonorum nationalium in eorum pos-
 sessione non turbentur. In consequentiam
 hujus consultationis factæ sunt 26. Maji
 publicationes, & in omnibus locis publicis
 aperti catalogi pro excipiendis a populo
 suffragiis. Eodem die convocata sunt om-
 nia civilia, & militaria corpora, administra-
 tiones, sacri Curiones, Nationale Institutum,
 atque Universitas, qui omnes uno ore in
 cuncta consensesunt. Idem obtinuit in tota
 Liguria, ubique campus datus est mentem
 suam manifestandi. Ex Inquisitione autem
 Genuæ, & in vicinia facta manifestum est,
 successum expectationi plene respondisse, in-

numeræ subscriptiones testantur fere unanimafuisse suffragia. Ex consideratione hujus universalis populi consensus delecti quidam viri adibunt Imperatorem Gallorum, & Regem Italiæ, significaturi eidem desiderium Nationis, nihil dubitantes, illud a Sua Majestate benevole acceptum iri; Hoc nos sperare jubet ejus erga nos propensio, & amor, quem nobis quavis data opportunitate, nominatim vero in tractatu Alexandrino post relatam ad Marengo gloriosam victoriam exhibuit.

Die 27. Senatus sequens tulit Decretum: Cum ob præsentés circumstantias, & proxime ad nos venturum Imperatorem Gallorum, & Regem Italiæ sessiones Senatus interrumpendæ sint, & ideo termini civilium causarum impediendi, Statutum est, omnes lites jam inchoatas ad tres menses esse dilatas. Qua occasione Senatus transulit in Ducem omnia sua jura, demto jure tributa indicendi. Hodie delecti ex Senatoribus viri Brixiam demigrarunt ad Imperatorem, & Regem Italiæ.

Gonfalonore, sen supremum Reipublicæ Lucanæ caput, Franciscus Bellomini nos invisit, dicitur etiam Constitutio hujus Reipublicæ propediem mutationem subitura.